

lore albo spiritus vniuntur, quod fugere nequeunt. Quare præcipitur: Dealbate latonem & rumpite libros ne corda vestra corrumpantur. Terra namque cum aqua putrefit & mundatur. Quæ cum mundificata fuerit nigredo, recedit & dealbatur. Et nunc peribit tenebrosum, & vir ascendit super mulierem, & aufert sibi suam nigredinem. Et sic tunc Mercurius: id est, seruus fugitiuus penetrabit corpus, & spiritus constringetur in iiccum & tunc cessabit nigrum corruptens, & deformatum, & fiet album & lucidum. Hinc Philosophi in Turba dicunt:

Magnesia nostra cum dealbatur, spiritus fugere non permittit, nec æris vmbra vltius apparere. Ipsa namque est sulphur album fixum, quod omnia corpora tingit, perficit, & conuertit in album.

Hinc dicit Philosophus: Si fuerit argentum viuum purum, coagulabit illud vis sulphuris albi non vrentis, in album: & illud est res optima, quam possunt habere operantes Alchimiam, & conuertunt illud in album: quia natura continet in se naturam, & vero matrimonio copulatur ad inuicem. Et non est nisi sola vna natura, quæ in vnoquoque gradu operationum suarum in aliam conuertitur naturam: eò quòd natura naturam lætatur, & gaudet, & natura naturam superat, & natura continet naturam, docens eam præliare contra ignem. Nec tamen sunt diuersæ naturæ, nec plures: sed vna tantum natura est, habens in se naturas & res omnes, quibus sufficit ad artem nostram: quia vno ordine natura opus suum incipit & finit.

*Qualiter lapis noster debet rubificari,
audi Rosarium.*

Nisi primò dealbaueris æs nostrum, ipsum rubeum facere nequitis: quia nemo potest transire de extremo ad extremum, nisi per medium. Hoc est dicere: nemo potest venire de nigro ad citrinum, nisi per album, eò quòd citrinum ex multo albo & purissimo nigro, est compositum. Dealba ergo nigrum & rubifica album, & habebis magisteriū. Quoniam sicut annus diuiditur in quatuor partes, sic etiam opus nostrum benedictum.

Nam